

verba: *Juniae gentis cum multae a Scriptoribus familiae nominentur, Brutorum tantum, & Silanorum, in denariis reperiuntur. Brutorum autem familiam duplicem fuisse, patriciam unam, ex qua L. Brutus, qui reges ejecit, ortus sit; alteram plebejam multiplicem &c.* Si quæ sunt in hac familia, quæ a Scriptoribus controvertuntur, ad rem nostram non faciunt; nobis satis est, quod ex ista gente Campus Brutianus, qui prope ejusdem fortassis ædes erat, fuerit denominatus; & a campo deinde Brutiani dicti fuerint homines, qui ibidem habitabant, quique officium exercebant, fontes flagellis cædere, & Licetorum munus obire.

Ex vocum postea similitudine factum est, ut Brutiis tribuerent in pœnam, quod Brutiani ex officio exercebant. Quod quidem quam inepte sit factum, illi solum ignorant, qui de rebus ad vocum sonitum, non ad rerum significationem, discurrunt. Pitiscus vero, ad verbum *Bruttiani*, ex suo tantum hæc dicit: *Bruttiani Magistratibus, peregre proficiscentibus, atque in provinciis agentibus, quondam apparebant; fabellam deinde ex Brutiis petitam, non de suo, sed de Gelli peni subjungens. Et ad verbum Bruttii, nihil hujusmodi subnectens, illa solum differit, quæ Brutiorum originem, regiones, & laudes etiam, respiciunt.*

Et re vera, quam Brutianos istos dixerimus Romanos fuisse, non tantum dicta non opponuntur, sed consonantibus, quæ de Licetoribus, Tortoribus, & Carnificibus, superius enarravimus. Ibi enim videre licet, hujusmodi munera ut plurimum Romanos exercuisse, aliquando liberos, & aliquando libertos, & quandoque etiam servos, aliarum gentium homines. Servos autem ex Brutiis non fuisse observamus in servorum catalogo, quem Laurentius Pignorius, Patavinus, in suo